



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

2. De stupro & pœnis illius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

## §. II.

## De Stupro &amp; pœnis illius.

1. *Stuprum latè, strictè & strictissimè sumi.*  
 2. 3. *Pœna stupri de iure Civili ac Canonico.*

1. **Q**uemadmodum Adulterium subindè ita latè sumitur, ut omnem coitum, lege prohibeant contineat, ita & Stuprum, *l. Inter liberos* 6 D. *Ad L. lul. de Adult.* aliquando verò strictius sumitur, & committi dicitur in virginem, vel viduam, integre vitæ ac honeste viventem, citra vim, *d. l. Inter liberos* §. 1. *l. Stuprum* 34. D. *cod. & l. Inter stuprum* 101. D. *de verb. signif.* imò & in masculum, *l. Qui domum* 3. D. *h. t.* Strictissimè vero & propriè capitur, pro virginum illicita defloratione; ut in *can. Lex illa* xxxviii. q. 1.

2. Pœna stupri circa vim commisi de iure Civili in personis honestis est publicatio dimidiæ partis bonorum; in humilibus coercitio corporis, cum relegatione, *§. Item lex lulia de adult. vii. instit. De publ. iudic.* Alioqui commissum vi, sive verè, sive interpretativè, veluti dum stuprator blandis verbis, & dolosis promissionib<sup>9</sup> sollicitæ seducitque & velut compellit virginem, *arg. l. 3. §. si quis volentem* D. *De lib. homine exhib.* *§. l. 3. De servo corrupto*, punitur pœna capitali, ut voluit DD. in *d. §. Item lex lulia de adult.* eò quod Justin. ibi diserte violentum stuprum creipiat, in verbis, *sine vi* Qui verò nondum viri potentem virginem corruperit, de iure communi non punitur pœna mortis: sed vel in metallū damnatur, si humilior fuerit, vel in insulā relegatur, si honestior, aut in exilium mittitur, *l. Si quis aliquid* 38. §. *qui nondum* D. *De pœnis.* Tutor stuprans pupillum deportatur ejusque bona publicantur, *arg. l. unica Cod. Si quis eam, cujus tutor* &c. A fortiori stuprans viduam cognatā, aut aliam cum qua nequit consistere matrimonium, deportatur, *l. Si quis viduam* D. *De quæst.* Servus, qui cum domina rem habuisse detectus fuerit ex Constit. Constantini traditur ignibus concremandus, domina capite plectitur, *l. 1. Cod. De mulieribus, quæ se propriis servis, &c.*

De iure verò Canonico stuprator virginis honestæ tenetur eam dotare & habere uxorem: nisi pater dare nolit, quo casu dotasse sufficit. Si verò ipse renuat habere, corporaliter castigatur excommunicatusque in monasterium,

ad agendam inibi pœnitentiam, detrudendus, *e. 2. h. t.* Sin non possit eam ducere, ut quia sic conjugatus aut Ordine sacro insignitus, nihilominus dotabit, quia utrumque est in obligatione, *arg. l. Celsus* §. 1. D. *De receptu arbitris.* Clericus vero etiā deponitur, *ex communi sententia*, apud Jul. Clarum, §. *Stuprum* n. 3. Insuperque pecuniaria pœna vel corporali veluti detrudendone in carcerem aut monasterium, puniri potest, juxta arbitrium Judicis, Abbas *in c. Ac si Clericus* n. 20. *sup. De iudic. in cap. Vt Clericorum sup. De vita & honest. Cleric. Wamel, Conf. 582. n. 5.*

3. Quod si Episcopus, Præbiter, Diaconus, Subdiaconus, Lector, Psalmista, aut Ostiarius, cum muliere, sanctificata Deo, mœchatus fuerit deponendus est, quia sponsam Christi corrupit: si verò fuerit laicus, excommunicandus est, *can. Si quis Episcopus* xxviii. q. 1. Et præterea ex Justiniani Constit. *Novella* 123. c. 43. res ejus monasterio applicantur: aliæque pœna hoc scelus coercetur, De fornicatione cum filia spirituali vide *can. penult. & ult. 111. q. 1.* & latius de pœna stupri tam adversus Clericum quam laicum, in foro tam conscientie quam civili & Pontificio, vide Menoch. *De arbitrariis lib. 2. casu* 288. 294 & 420.

Illud hic subiiciendum, Paulum IV. Constituit, quam refert Pet. Matth. in vii. *Decretal. lib. 5. tit. 1. cap. 1.* statuisse, ut conciliatores, progeneretæ, lenones ac lenæ, quæ puellam virginem interpellaverint, flagitio quidem perfecto pœna capitali, imperfecto vero deportatione perpetua in insulam plecterentur: in cæteris autem calibus fustibus publicè cæderentur.

## §. III.

## De Incestu &amp; pœnis ejusdem.

1. *Incestus quid sit.*  
 2. 3. *Pœna incestus simplicis & incestuum nuptiarum ex utroque iure.*

1. **Q**uemadmodum Adulterium gravius est Fornicatione, ita incestus adulterio, *can. Adulterii malum* xxxii. *quæst. 7.* Est autem Incestus consanguineorum vel affinitum intra gradus iure prohibitos abusus, seu cum eis concubitus. Et Incestuosi dicun-